

» sententiam per alios tres dies dictos quindecim dies immediate
 » sequentes animo, quod absit, sustinuerint indurato, sententiam
 » ipsam aggravamus, et ex nunc prout ex tunc Venetiarum, Pa-
 » duanam, Veronensem, Vicentinam, Brixiansem, Tervisinensem,
 » Pergamensem, reliquasve a venetis praefatis tenta et posses-
 » sa, civitates, terras, castra et loca quaecumque citra et ultra
 » mare, ac in maritimis insulis consistentia, et generaliter loca
 » quaecumque etiam ab eisdem venetis non possessa, ad quae ali-
 » quem eorundem excommunicatorum declinare contigerit, quam-
 » diu in illis permanserit et triduo post recessum ejusdem ac quae
 » in illis sunt ecclesias et monasteria ac religiosa et pia loca quae-
 » cumque de eorundem fratrum consilio praefata auctoritate ec-
 » clesiastico subjicimus interdicto, ita ut illo durate in illis etiam
 » praetextu cujusvis etiam apostolici indulti personis, ordinibus,
 » vel locis concessi, praeterquam in casibus a jure permissis, et
 » etiam in illis alias quam clausis januis ac excommunicatis et in-
 » terdictis exclusis, nequeant missae et alia divina officia celebrari.
 » Si vero moniti, excommunicati et interdicti praefati per alios tres
 » dies dictos ultimos tres dies immediate sequentes ad cor reverti,
 » occupata restituere, et a bello desistere ac nostris monitioni et
 » mandatis praedictis obtemperare distulerint et in sua voluerint
 » cordis duritia et perversa obstinatione permanere, eos et quem-
 » libet eorum reaggravationis, anathematizationis et aeternae ma-
 » ledictionis ac perpetuae damnationis cum Dathan et Abiron,
 » quos vivos terra absorbit, irretitos mucrone ligamus ac ligatos
 » et irretitos esse decernimus ipso facto. Eosdemque Joannem Mo-
 » cenigo ducem, consiliarios Rogatorum, et generalis Consilii ac
 » alias singulares personas Communis Venetiarum, providitores,
 » capitaneum, immorantes, fautores, adhaerentes, complices et
 » sequaces, reliquosve monitos praedictos, excommunicatos, aggra-
 » vatos, interdictos, reaggravatos, anathematizatos et maledictos,
 » ut praefertur, in eorum protervia perseverantes, reos crimi-
 » nis laesae majestatis dicta auctoritate decernimus, ac Joannem